

## Caecilii Statii fabularum fragmenta comparatis Graecorum Comicorum reliquiis illustrata.

*Εἰστένα θαρρόοντα, εἶνα γὰρ καὶ ἐνταῦθα θεός.*

Heraclitus ap. Aristot. de part. animal. I, 5.

Praeclare B. G. Niebuhrus in praefatione historiae Romanae (p. XVI. ed. a. 1853) philologis, qui quidem munere sibi delato religiose fungi velint, hoc esse propositum ait, ut quaecunque veterum populorum ingenia procrearint, ipsi tamquam „internuntii saeculorum“, studiis indefessis repetant, in lucem proferant, immortalitati tradant. Ac si magnorum virorum imagines, si reliquias eorum ipsas summo studio conquirimus et asservamus, nonne multo gravius est et homine dignius, ingenii reliquias undecunque ex oblivionis tenebris eruere et in lucem provocare? „Hic mortui vivunt, hic muti loquuntur.“

Quod cum semper et ubique philologis dignum, qui sacrum tamquam Vestae ignem servare debent et nutrire, certe in poetae alicuius egregii fragmentis vel colligendis vel illustrandis haud spernendum videbitur. Quare meum feci illud Heracliti, qui peregrinos, cum exiguam philosophi domum intrare dubitarent, bono animo introire iussit: „εἰστένα θαρρόοντα, εἶνα γὰρ καὶ ἐνταῦθα θεός.“

Artis Romanorum scaenicae, quae summa olim apud illos laude ac gloria floruit, praeter Plauti et Terentii fabulas perpaucae tantum reliquiae aetatem tulerunt. Grammaticis plerasque debemus, qui versiculis temere arreptis antiqua et obsoleta vocabula aucupabantur et nulla fere argumenti ratione habita id tantum spectabant, ut vel exquisitiora quaedam vocabula vel exempla metrica notarent atque in commentarios suos referrent. Ita accidit, ut modo versus pulcherrimos ac bonitate insignes, modo nullius fere pretii frustula, „disiecta membra poetae“, invenias.

Talis cum poetarum illorum sors fuerit, nihil iam relinquitur, nisi ut parvula illa fragmenta a grammaticis nobis servata iterum percenseamus. Atque cum aliter legat grammaticus, aliter poeta vel poetarum amicus, operae sane pretium erit collecta illa denuo excutere atque inde quale fuerit poetae ingenium constituere. Quod ut efficerem, illa potissimum perspicenda putavi, quae et argumento commendarentur et arte essent conspicua.

Caecilii Statii fabularum fragmenta, e quibus persaepe ingenii vere poetici igniculi elucent, nostra aetate post Bothium Leonhardus Spengel et Otto Ribbeck\*) recensuerunt. Sed uterque optato rarius comparatis Graecorum Comicorum fragmentis argumenta fabularum ipsa respexit, quod mihi quidem praecipuum ac gravissimum videtur. Nam hoc semper persuasum habui, poetas Romanos non servili modo Graeca in ipsorum sermonem transtulisse, sed mobili ingenio immutata ad sui populi mores accomodasse, ita fere ut poetae Francogallorum comici Romanorum fabulas suum in usum converterunt. Qua de causa Caecilii fragmenta cum Graecorum, imprimis Menandri et Philemonis reliquiis accuratius componere statui atque ubi fieri poterat ipsa fabularum argumenta adumbrare conatus sum. In versibus ipsis constituendis plerumque Ribbeckium secutus sum; incertas plerasque ed. II. coniecturas non recepi.

\*) Poetae scenici Latinorum rec. F. H. Bothe, Lipsiae 1823, vol. V. II. p. 125—153. — Caii Caecilii Statii comici poetae deperditarum fabularum fragmenta edidit Leonhardus Spengel Monacensis. Monachii 1829. — Scaenicae Romanorum poesis fragmenta rec. Otto Ribbeck. Lipsiae 1855, ed. II. 1873.

**Aethrio.**

1. De nocte ad portum sum proventus prosumia.
2. Ei perii: quid ita numero venit? fuge domum.
3. Oram reperire nullam, qua me expediám, queo.
4. Cum Mercurio capít consilium, postquam sentinat satis.
5. . voltis? empta est: noltis? non empta est . .

Aetherium Jovem intellegit Spengelius p. 6, Plauti Amphitruoni non multum dissimilem fabulam fuisse coniciens. Meinekius in hist. crit. Com. Gr. p. 461 nomen Aeschrionis tuetur, Caecilium fabulam cognominem Apollodori transtulisse existimans. Sed Apollodori fabulae nulla fragmenta exstant, quare ex solo titulo nihil potest concludi. Aethrione fabula, ut Spengelius recte iudicavit, Juppiter aliquis novus describi videtur quem ad modum Plauti Amphitruone. Fragmenta ipsa Jovem in adulterio comprehensum et effugere conantem ostendere videntur. Jovem *αἰθριον* appellari minime mirum, cum iam philosophi Graeci illius nomen ita sint interpretati.

**Andria.**

Conducit navem putidam . . . . .

Terentium Andriam suam antequam ageretur Caecilio recitasse, quod ap. Suet. in vita Terentii legitur (ubi alii, in quibus F. A. Wolfius, Acilio legunt), probavit Osann Anal. crit. p. 148 sq. Eadem fuerat Mureti et N. Heinsii sententia, quam ego quoque amplector. Cognationem utriusque poetae fabularum iam hoc solum Caecilii fragmentum ostendit. Ex Menandri autem Andria et Caecilii et Terentii fabulam cognominem fluxisse vix est quod moneam. Caecilii num sit fabula dubitat quidem Ritschelius Parerg. I 133, quod cum ex Graecis Menandria sola nota sit, si eandem, quam Caecilius olim dederat, repetere ausus esset Terentius, vix ei in prologo de ea re tacere licuisset. Recte vero Ribbeckius Caecilium, ut ex Andria et Perinthia suam fabulam contexerit Terentius, aliis aliunde partibus adsumptis satis diversum argumentum proponere potuisse putat. Contaminatio Comico- Latinorum nota res est et pervulgata. Terentium autem et in Hecyra Caecilii Imbrios imitatum esse et versus quosdam Caecilianos suos fecisse suo loco demonstrabo. Andriae Caecilianae adscribere iuvat hoc fragmentum (inc. 14), quod Ribbeckius Aethrioni addidit:

. . . . . nam ut ex portu in Piraëum

**Androgynus.**

1. Sepulchrum plenum taeniarum, ita ut solet.
2. Sed ego stolidus, gratulatum me oportebat prius.

Haec fabula ex Menandri *Ἀνδρογύνης* expressa videtur, sed pauci Graeci versus nostris nullam lucem afferunt. Ex titulo autem Menandriae fabulae *Ἀνδρογύνης ἢ Κρής* id fortasse conici potest, adolescentium infamem illum amorem ea depictum fuisse, cum in Creta potissimum insula tales amores celebrati fuerint. Ex gemino genere androgyni varios errores ortos esse verisimile est. Fragmento primo ex incertis propinqua haec habeo:

Dum taeniam qui volnus vincirét . . (26)  
Si nón sarciri quitur (29)

**Asotus.**

1. . . . . nam ego  
duabus vigiliis transactis dico desubito domum.
2. Ad amicos curret mutuatum. — mutuet  
mea causa.
3. Jam dudum depopulat macellum . . .
4. Tu iam callebis, ille fessus desidet?
5. Meretissimo hic me eiicit ex hac decuria.

6. Nihilne, nil tibi esse quod edim? . . .

7. Nihil fore opinor inter me atque illum . . .

Nomen Asoti Gellius n. A. VI 11, 2 interpretatus est: „Nequam hominem nihili [neque] rei neque frugis bonae appellarunt, quod genus Graeci *ἄσοτος* vel *ἀκόλαστος* dicunt.“ A tali homine, qui certe amplissimam ridendi materiam praebebat, complures Graecae comoediae poetae fabulae titulum desumpserunt: *Ἄσοτοι ἢ Ἐπιστολή* Euthyclis, comoediae antiquae auctoris, fabula fuit, *Ἄσοτος* Timostrati, *Ἄσοτοι* Antiphanis, mediae comoediae poetae. Ennii Asotum laudant Varro et Festus, Nonius Caecilius, cuius fabulam ex Timostrati fabula cognomine expressam fuisse suspicari licet, cum ille inter claros comoediae novae auctores referatur. Sed infelici casu eius fabulae fragmenta nulla exstant, quamobrem nihil certius constitui potest. Nebulonis varia studia hac fabula descripta fuisse patet. Praeter consuetudinem argumentum ipsum respiciens Ribbeckius fragmenta ita explicavit: „Amatam, ni fallor, noctu clanculum a se in domum paternam ductam esse narrat adulescens asotus fr. 1, de eodem patri fr. 2 sermo est vel cum sene amico vel cum servo. Obsonantis sumptus tanguntur fr. 3, parasitum loquentem habes fr. 5 et 6.“ Ad fr. 3 compares Horatium Epist. I 15, 31, ubi similiter de Maenio nebulone praedicat: „Pernicies et tempestas barathrumque macelli.“ In fr. 2 animadvertas lepidam allitterationem a poeta quaesitam, cf. Fallacia 4 et Progamos.

Ad Asotum illi quoque versus referendi videntur, quibus apud Ciceronem pro Caelio 16, 37 „Caecilianus pater vehemens atque durus“ describitur.

„Nunc enim denum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira.

o infelix, o sceleste! . . . . .

egone quid dicam, quid velim? qui tu omnia

tuis foedis factis facis ut nequidquam velim.

istam in viciniam te meretriciam

cur contulisti? cur inlecebris cognitis

non . . . refugisti? . . . . .

Reliqua, quae Ribbeckius ut numeros reficeret nimis disseccasse mihi videtur, Cicerone interprete hic apponere sufficiat. „Cur alienam ullam mulierem nosti? Dide disice, per me licebit; si egebis, tibi dolebit; mihi sat est, qui aetatis quod reliquum est oblectem meae.“ Possunt vero hi versus, quibus senex „tristis ac severus“ filium negligentem et dissolutum graviter compellat, etiam ad Hymnida referri, cuius fragmentum quartum Cicero servavit de fin. II 7, 22: „Atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edant de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide: „Mihi sex menses satis sunt vitae, septimum Oreos spondeo.“

### Carine.

1. . . ut aurum et vestem, quod matris fuit,

relinat, quod viva ipsi opposivit pignori.

2. tum ex aure eius stalagmium

domi habeo.

3. Modo fit obsequens, hilarus, comis,

communis, concordis, dum id quod petit potitur.

Est haec fabula procul dubio expressa ex Menandri Carine. *Καρίνη* autem, ut Meinekius vidit, mulier erat e Caria adscita, quae in funeribus lugubres modos cantabat. Fr. 1 verba sunt cuiusdam de filia, quae nonnulla a matre ipsius homini cuidam „pignori opposita“ resolvere constituerat. Vocabulum „aurum“ ornamenta muliebria indicat, ut „stalagmium“ (fr. 2), genus inaurium a mulieribus adamatam (cf. Plant. Men. III 3, 18: „inaures da mihi, — stalagmia“). Erat praeter inaurem etiam collare, id quod ex Menandri Carines fr. 3 cernitur: „περὶ τὸν τραχήλον ἀλύσιόν τις σοι δότω.“ Inde etiam intellegitur, quid „tum“ sibi velit. Fabula id agi ut ornamenta illa recuperentur, facile perspicitur: ἀναγνωρισμός; secutus est, inde ortae nuptiae. Fr. 3 verba sunt meretricis de amico. Congeriem (συναθροισμὸν) vocabulorum Caecilius amasse videtur; nostro versui similis est ille in Synephebis fr. 3:



„Pró deum, populárium omnium, ómnium adulescéntium,  
clámo, postulo, óbseero, oro, plóro atq̄ue imploró fidem.“

### Chalcia.

1. numquid nám fores  
fecére soniti?

2. Ait hic vicinus sé peperisse eam vobis.

*Χαλκεία* fabula fuit Menandri, de quo titulo vide Harpoer. p. 183: „τά Χαλκεία ἑορτή παρὸ  
Ἰθρηαίους ἀγομένη πνευματώδης ἔστι καὶ νέα — γέγραπται δὲ καὶ Μενάνδρον δράμα Χαλκεία.“  
Graeca *Χαλκεία* Romanorum erant Vulcanalia, die XXIII. m. Augusti celebrata.

Recte Spengelius ad fr. 1 ex Menandro affert: „ἀλλ' ἐφόρηκε τὴν θύραν τις ἐξίων.“ Usitata  
et fere ubique occurrens est formula e scaena abeuntium. Fr. 2, graviter quidem depravatam, serva-  
tum est a Nonio p. 464, 21: „Parere etiam viros dici posse Caecilius auctor est, Calchissat  
hic vicinus se as perisse et vobis.“ Dictum id prudenter et mutatum ab Homero: *αὐτὰρ Γλαῦκος  
ἔτικτεν ἀμύμονα Βελλεροφόντην.*“ Graueri (Anal. p. 111) vestigia secutus („Ait hic vicinus eás pe-  
perisse se Vobis) equidem ita lego: „Ait hic vicinus sé peperisse eám vobis.“ In Graueri lectione  
permirum videtur, vicinum illum plures simul puellas pro suis agnovisse; hoc ut rerum ita etiam  
fabulae naturae omnino contrarium est. Lucem nostro versui affert Menandri locus, inc. 230: „ἐδεξάμην,  
ἔτικτον, ἐκτρέφω, φίλε“, viri aperte verba, cum *δέχεσθαι* et *ἐκτρέφειν* virorum fuerit. Ex filiae  
agnitione *ἀναγνωρισμόν* ortum, inde nuptias per se patet; ea enim fabularum comoediae novae natura  
fuit. Ribbeckii versus: „sat hic vicinus ásses Peperisset nobis“, verba quidem religiose respiciens, a  
Nonii interpretatione ipsa nimis recedit.

### Chrysiön.

- . . . quamquam ego mercéde huc conductus tua  
advénio, ne tibi me ésse ob eam rem obnoxium  
reäre: audibis mále, si male dicis mihi.

Chrysiön est ὄνομα ἑποχοριστικόν Chrysis puellae (ut Philotis et Philotium in Terentii *Heeyra*  
I 2, 6 sq.), iam apud Aristophanem *Lys.* 929 occurrens. Cf. Charisius I p. 80 P.: „Leontion et  
Chrysiön et Phanion; ex neutris Graeci femina neutra fecere, et Plautus quod dixit haec Phro-  
nesium et Caecilius Leontium.“ Ad sententiam quod attinet, dignus est qui conferatur Euripidis locus  
*Ale.* 715: „εἰ δ' ἡμᾶς κακῶς ἔρετε, ἀκούσῃ πολλὰ καὶ ψευδῆ κακά.“

Apte Spengelius praeterea Terentii versum *Andr.* V 4, 17 attulit:

Si mihi pergit quae volt dicere, éa quae non volt audiet.

Caecilii versus O. Ribbeck bene cum his Antiphanis Chrysidis versibus comparavit: „πέτταρες  
δ' ἀλλήτριδες Ἐχονοὶ μισθὸν καὶ μάγειροι δώδεκα καὶ δημονογοὶ μέλιτος ἀποῦσαι οὐκάραι.“

### Dardanus.

1. Nihil ego spei credo, ómnis res spissás facit.
2. Ea tùm compressa párit huic puerum, sibi probrum.

Haec fabula imitata esse videtur Menandri *Δάρδανον*, cuius perpauca fragmenta hominem osten-  
dunt voracem, vinosum, luxuriosum: „καὶ λαμὰ βεκχενέει λαβὸν τὰ χρήματα. Titulus sane mirus.  
De mythico illo Dardano cogitari hic omnino non potest, multo magis de mago quodam Phoenicio  
(cf. *Plin. h. n.* XXX 1, 2), persona comoediae bene apta. Simile argumentum tractant Menandri  
*μηγαρότης*, Antiphanis *οἰωνιστής*. Certe magus alios decipiens et ab aliis deceptus vir valde ridi-  
culus. Alterum fragmentum apud Festum Davi titulum ostendens refertur. Sed ubinam fabula tam  
noti servi comici nomine inscripta exstat? Recte L. Spengel p. 5 Davum titulum natum ex „Dar-  
dano“ putavit syllaba priore omitta. Quapropter, etsi ipse Ritschelius *Parerg.* I 143 dissentit, non  
dubitavi illum versum hic loco suo ponere.

### *Demandati.*

Si umquam quisquam vidit, quem catapultā aut balista icerit.

De hac fabula equidem novam et nisi omnia me fallunt veram sententiam habeo. Expressam enim puto ex Menandri fabula *Ἐπιτρέποντες*, de quo titulo conferas Harpocr. p. 84, 3: „τοῖς οἰκείοις ἐπιτρέπειν ἀντὶ τοῦ διατήτας αἰρεῖσθαι, ὅθεν καὶ Μεράνδρον δράμα Ἐπιτρέποντες“ et ipsius fabulae fr. 9: „ἐπιτρέπειόν τινί ἐστι περὶ τούτων“ ex schol. ad Aristoph. Acharn. 1114 „ἐπιτρέφει ὅστε χρῖναι“. Quid vero? Latinum verbum demando nonne plane idem est ac Graecum *ἐπιτρέπω*? Exspectaveris quidem titulum „Demandantes“. Sed hoc semper teneamus, Latinos poetas neque fabulas ipsas neque earum titulos servili imitatione expressisse. Erat autem teste Quintiliano XI 1 haec fabula ob litigantium certamina celeberrima. Quod ad unicum fabulae nostrae fragmentum attinet, coqui dicacis verba fuisse videntur. Teste enim Athenaeo XIV p. 659 „μαγείρον σκοπτικῶν“ in hac fabula partes fuerunt. Coquus illis verbis utitur, ut quendam a se cochleari percussum facete consoletur. Apud Menandrum fr. 10 puella, quae ab illo vapulaverat: „ἐξετύγην μὲν οὖν κλαίουσα“ exclamat. Quam lacrimantem coquus videns subridet et si umquam, ait, quisquam vidit quem catapultā aut balista icerit“, hoc certe nihili pendet, ita simul fortasse militiam suam iactans, ut solent eiusmodi homines.

### *Ephesius.*

Tum equidem in senecta hoc deputo miserimum, sentire ea aetate ipsum esse odiosum alteri.

Vocabulo „tum“ intellegitur, antea iam alia senectutis mala enarrata fuisse. Saepe vero in fabulis senectus propter multa quae illi adsint vel immineant mala graviter accusatur. Conferas Plocii fr. 9, qui versus cum Ephesii versibus laudantur a Cicerone Cat. m. 8. Fuit vero Menandri fabula cognominis.

### *Epicleros.*

1. Itane Antipho invenitur profluvia fide,  
itanést inmemoris, itanest madida memoria?
2. An ubi vos sitis, ibi consilium claudeat?
3. Ut me hodie ante omnes cómicos stultós senes  
versáris atque emúnxeris lautissime.

*Ἐπίκληρον* multi Graecorum poetae scripserunt, comoediae mediae quattuor: Alexis, Antiphanes, Diodorus, Heniochus, novae Diphilus et Menander. Apud Romanos etiam Turpili fabulam cognominem ex fragmentis novimus. Primas nostrae fabulae *ἐπίκληρος* egit, filia heres divitissima. Inde saepe iurgia, rixas, lites inter cognatos, simultates inter illius amatores fuisse facile intellegitur. Ita evenit ut tot poetae iique clarissimi hoc argumentum sibi sumerent; Menandri fabula laudatur a Quintiliano. In Caecilii fabula duo aemuli, Antiphon et Calliphon (Caecil. 1, Turpil. 2), *ἐπίκληρον* sibi expetebant, quorum varia studia risum spectantium excitabant; videtur enim, ut fieri solet, illa splendida dote freta eos minimi fecisse. Uterque puellae quam petit blanditur, alter alterum adulando et largis donis superare studet, sed neuter finem exoptatum adeptus videtur, cum alium puella callida sibi eligeret. Adulescentium autem patres vitam eorum sumptuosam aegre ferebant; illorum sermones fragmenta referre videntur. — Fragmenti tertii versus, a Ribbeckio inter incerta relegati, laudantur a Cicerone Lael. 26. Mire ibi in comoedia ipsa „comicos senes“ dictum videtur, sed minime illud a comoediae natura abhorret. Et nostri — laudo ante omnes Shakespearium Hamlet III 2: „um den Gründlingen im Parterre . . .“ — et veteres poetae talia amant. Ita Pomponius in Praecone Posteriore fr. 6: „Si sciam quid velis, quasi servi cómici conmictilis“ et Caecilii noster Ploc. 14

Insánnum auspiciū haut áliter histriónium est,  
atque út magistratus, públice quando áuspiciant.

Senes „emungi“ dicuntur, si pecunia per fraudem et dolos privantur, cf. Plant. Bacchid. IV 4, 50 et V 1, 15. Itidem Graeci Comici *ἀπομόσσειν* dicunt. Cf. praeterea Horat. a. p. 238 „audax Py-

thias emuneto lucrata Simone talentum" (ubi Comm. Cruq.: „Pythias persona comica in comoedia Lucilii" i. e. Caecilii) et Lucilius ap. Non. „emungi bolo“.

### *Epistathmos.*

Si próperas, escende húc meam navem: ita céleris est.

Posidippum, novae comoediae poetam, fabulam *Ἐπίσταθμον* scripsisse Pollux tradidit. *Ἐπίσταθμος* erat mansionum inspector („Quartiermeister“), qui milites tecto excipiendos et alendos curabat. Ut gloriari semper solent centuriones et magistratus omnes minores, praesertim apud rusticos et plebem, ita etiam híc homo non multo secus ac Plauti miles gloriosus se gessisse videtur. Ipse ille, qui ante omnes praecurrere debebat, diutius in deversorio moratus ad navem festinavit, qua vectus agmen se assecuturum esse sperabat. Cui gubernator: „Si properas, escende huc meam navem: ita celeris est.“

Ex incertis fragmentis (13) huc referendum videtur:

Venério cursu véni, prolató pede Usque ad scaphonem.

Posidippi fabulae fragmento quod superest unico vehicula et varia agminis impedimenta enumerantur, ab ipso scilicet epistathmo, stolido viro ac sibi valde placente, qui graves muneris sui labores describit: „*ὄχηρὰς, ὄχους, Πόξους, ἀορτὰς, λάσανα, λαμπήρας, ὄρους.*“ Ceterum quod omnes libri exhibent „extende“, cum „escende“ nil nisi coniectura sit Guilelmi Veris. III 16, mihi minime displicere fateor. Perfacile „bracchium“ supplere potes; ita non Latini solum, sed nostri quoque sermone quotidiano loquuntur. Talis erat vera natura gubernatoris festinantis, qui ut tempori ita et verbis parcat.

### *Epistula.*

1. Jam ne ádeo manta, iam hóc vide: caecus ánimum . . . .  
advéntus angit.
2. Nam nóbis quidem novós repertu's Jóvis deus.

Quod titulum attinet, Alexis mediae et Machon novae comoediae poetae *Ἐπιστολήν* docuerunt, sed neutrius fragmenta ulla sunt quae ad Caecilium illustrandum possint adhiberi. Machonem Caecilium imitatus esse videtur, non Alexidem, ut et L. Spengel censet et O. Ribbeck, cum ille mediae, hic novae comoediae poeta fuerit. Certe epistulae apud Caecilium non minor ad fabulam expediendam vis fuit, quam in Hippolyto Euripidis. Videtur enim illa adulescens aliquis ad mulierem marito absente invitatus fuisse. Epistula a marito inventa in comoedia tragoediam fere excitat. Furibundus ille domum tendit et iam tumultus ille exoritur, quem Horatius sat. I 2 extr. facete describit: „miseram se conscia clamat“. Amatorem, qui eam nihilo minus mittere non vult, obiurat ut quam celerrime aufugiat: „Jam ne adeo manta (i. e. mane), iam hoc vide, caecus animum . . . adventus angit.“ Videtur vocabulum „adventus“ genitivus „mariti . . .“ vel simile aliquid praecessisse. Alterius fragmenti verba adulescentis fuisse videntur, qui cum uxore rem habebat („Jovis nominativo quoque casu invenitur“ Prisc. VI 7).

### *Exhauthestos.*

. haec caterva pláne gladiatória  
cum suúm sibi alius sócius socium saúciat.

Fabulae titulum, Terentii Heautontimorumenon haud dissimilem, L. Spengel ex Donato ad Ter. Adelph. IV 5, 34 recte restituisse videtur, probavit O. Ribbeck. Quod vulgo legebatur „Eratosthenes“ ferri omnino nequit, cum tam miram fabulam nemo unquam fando audiverit. Sed nescio an, perlevi sane emendatione, „Eranosthenes“ sit legendum. Si *ἐρανιστής*, cenae collaticiae particeps, dicitur, si *ἐρανάρχης*, qui *ἐρανιστῆς* praesidet ut *συμποσιάρχης συμποσισταίς*, si *ἐρανέμπολος ἐράνο* mercaturam exercens, quidni *ἐρανοσθένης*? Sciunt omnes *ἐρανον* fuisse cenam symbolis paratam; Eranosthenem facile intelleges eum, qui tales epulas frequentat, qui ibi edendo et potando aequae ac lepore facetiisque ceteris antecellit. Parasitus profecto persona comoediae aptissima. Ludus „gladia-



torius", qualis in fragmento nostro commemoratur, apud Romanos in conviviis apparari solebat, sicut in Graecorum computationibus psaltria, citharistria, saltatrices prodibant ac varia *θεάματα* instituebant.

### Exsul.

1. . . . . nam hic in tenebris intus sese abscondidit.
2. . . non haec putas? non haec in corde versantur tibi?

Similis argumenti Alexidis *Φυγάς*, Nicostrati *Ἐπελαυνόμενος*, Theophili *Ἀπόδημοι* fuisse videntur. Sed cum hi omnes mediae comoediae poetae fuerint, non puto Caecilium eorum aliquem, nisi forte Alexidem, imitatum esse; certe fragmenta illorum nihil nobis suppeditant. Multo verisimilius est Philemonis *Ἄπολις* a Caecilio esse expressum; iam H. Grotius *Ἄπολις*, urbe patria pulsum, exsulem appellavit. Quidam exsilio damnatus nihilominus in urbe remansisse videtur ibique se abscondidisse; tandem detegitur (fr. 1).

### Fallacia.

1. . . . . nam quam dūrīter  
Vos educavit atque asperiter, nōn negat.
2. Nam si illi, postquam rēm paternam amiserant,  
Egēstate aliquantisper iactati forent
3. Nullus sum, nisi meam rem iam omnem própero incursim pērdere.
4. Fácile aerumnā ferre possum, si inde abest iniūria:  
Étiam iniuriám, nisi contra cōnstat contumélia.
5. . . nisi quidem qui se malit pūgnitus pessim dari.
6. Ossiculatim Pármenonem dé via liceát legant.
7. . . . . velim paulisper te opperiri. —  
Quantisper? — Non plus triduum.

Mirus fortasse titulus apud Caecilium, cuius fabulae exceptis *Epistula*, *Gamo*, *Triumpho* a persona aliqua insigni denominari solent. Fabulae natura talis fere fuisse videtur, qualem nostrates „Intriguenstück“ appellant; ita etiam Caecilli fabulam totam dolis et fallaciis repletam fuisse simile est. Similis titulus fabulae a poeta nostro comico Roderico Benedix confectae „Das Lügen“. *Καταφροδομένον* et Menandri et Philemonis (nam si de his, de Alexidis et Sosipatris fabula cognomine cogitari nequit) nihil fere praeter ipsum titulum exstat. Etiam ex Menandri fabulis *Ἀπίστος* et *Δε ἑξαπατῶν* atque Heniochi fabula *Δε ἑξαπατῶμενος* nihil certi statui potest. Primas fabulae partes pater durus et severus egisse videtur (fr. 1); is a filiis et servo (Parmenone fr. 6), qui illos fallacia sua adiuvat, misere fallitur. Filii a patre tam dure tractati cum diutius ferre non possent, servo comite clam ex patris domo aufugere constituunt. Sed itinere dilato (fr. 7) inceptum eorum proditur. Patris de filiorum sumptibus querentis fr. 2 et 3 fuisse videntur, Parmenonis servi, qui in insidiis exceptus poenas luit, fr. 4 et 6. Apte vero ad hanc fabulam referri possunt illi versus (inc. 4 et 5), quibus confidentia i. e. impudentia, vitium fallaciae saepe cognatum, reprehenditur:

‘St tacete: quid hoc clamoris? quibus nec mater\* nec pater,  
Tánta confidentia? auferte istam enim superbiam.  
Si confidentiam ádhibes, confide ómnia.

- Simile conferas fabulae nostrae fragmentum secundum.

### Gamos.

Ut hómīnem miserum tóxico transégerit

Fabula vel ex Diphili, vel, quod certius habeo, ex Philemonis *Γάμος* expressa est. Nuptiae in ea vel parantur vel celebrantur. Pro vocabulo „miserum“ L. Spengel „amoris“ proposuit, quod equidem, etsi Ribbeckius secutus est, recipere dubito. Nam Philemonis fragmenta verum potius vel verum

habitus veneficium indicant: 1. ἐν Καρὶ τὸν χίνδνον οἶθα, δέσποτα. 2. σῶζε σαρτὸν, ἐγὼ δ' ἐμέ. 3. θρασέα γυνή. In nuptiis puellam antea a marito amatam illi venenum parasse et per servum a se corruptum in epulis vino admixtum apposuisse puto. Sed cum alius servus illius consilium domino patefecisset (Phil. fragmenta), venefica quominus facinus committat prohibetur. Inde graves ortae sunt rixae, sed — „amantium irae amoris integratio“ (Ter. Andr. III 3, 23).

### Harpazomene.

1. dī boni,  
Quid illud est pulchritātis?
2. . . hunc collum ludo praecidi iube.
3. Utinam te, sciole, istac schema, sine cruribus  
Videám!
4. Quid nárras, barbare indomitis cum móribus,  
Inlitterate, inléc?
5. . qui homo ineptitudinis cumulátus, cultrum oblitus —?
6. quid tibi aucupatio est  
'Argumentum aut de meo amore vérbificatio ést patri?

Ad fragmentum tertium conferas Charisium p. 117: „schema quasi monoptoton sit, proinde declinasse Caecilius in Ἀραζομένη denotatur“. Fortasse, cum Caecili versum Plautinus versus ex Amphitruone petitus subsequatur: „Huc ego processi cum servili schema“, in vocabulo „servili“ verum latet. Sunt verba adolescentis ad servum; servis vero morte multandis crura suffringebantur (cf. Cic. p. Rosc. Am. 20, 56). — In fragmento quinto Bothii coniecturam „cultrum“ recepi. Quid enim illud „cultrum“ oblivisci? Valde dubito, num Latini unquam ita locuti fuerint et fac illos ita re vera esse locutos, cur ideo aliquis „ineptus“ dici potest? At coquus cultrum oblitus optime ineptus appellatur, cum instrumento in re culinaria maxime desiderato careat. Aduvant Bothium fr. 2: „hunc collum ludo praecidi iube“ et Philemonis fabulae cognominis fr. 2: „Ὅρῶ μαγείρον καὶ χύβηλιν καὶ σάκκην“. — In fragmento sexto „aucupatio“ vox est comica, nata ex Graeco θηροσῶδα, cf. Plaut. Men. 914. Similiter aliquis in Turpili Boethuntium fr. 3 loquitur: „qui verba venatur mea“. Primo Harpazomenes fragmento addenda puto ex incertis haec perquam similia:

Di boni! quid hoc? (30)

Quaero igitur, quisquis es, mea mulier . . . (19)

(Nonius: „quis et generi feminino attribui posse veterum auctoritas voluit“). Faustium quandam pulcherrimae puellae admiratione primo stupidum, tum vero vel ipsam vel comitem eius alloquentem habes.

Cum teste H. Stephano in Thesauro verbi ἀρπάζειν etiam genus medium inveniatur: sibi rapere, primae fabulae partes meretricis rapacis fuisse videntur, cuius mores Horatius Epist. I 17, 55 lepide depinxit:

Nota refert meretricis acumina, saepe catellam,

Saepe periscelidem raptam sibi flentis . . .

Adulescens aliquis primo illius adpectu valde animo commotus et amore incensus (fr. 1) mox ea familiariter utitur. At non frustra puellae nomen ἀραζομένη erat: quasi Harpyia quaedam amabilis undecunque pecuniam quaerebat et quem semel nacta erat — „non missura cutem nisi plena cruoris hirudo“. More suo igitur adolescentem variis artificiiis despoliat, quorum id fortissimum fuisse videtur, ut servum ipsius collum „ludo praecidi“ iubens adolescenti de salute eius sollicito plura etiam extorqueret. Amore detecto pater graviter in filium invehitur, hic in servum (fr. 3—6). Postremo omnibus reconciliatus puellam, quae civis Attica agnita erat, uxorem duxisse videtur.

### Hymnis.

1. habes  
Milétida, ego illam huic despondebo et gnato saltum obsipiam.



2. Desine blanditiae, [frustra blateras,] nil agit  
In amore inermus.
3. . . . . quae narrare inepti est ferventi scutra.  
Machaera quin licitari adversum ahenum coepisti sciens?
4. Mihi sex menses satis sunt vitae, septimum Orco spondeo.
5. . vide luculentitatem eius et magnificentiam.
6. Garruli sine dentes iacent, sine nictentur perticis.
7. Sine suam senectutem ducat usque ad senium sorbilo.
8. Prodigere et, cum nihil habeas, ted inridier.

Caecilium hac fabula Menandrum imitatum esse patet, cuius Hymnidis tot fere fragmenta quot Caecilianae habemus. Fragmento tertio aliquis amicum ab altercatione cum homine valde irato advocare studet; illum docere idem esse ac scutram ferventem verbis compescere velle. Fr. 4 in proverbium fere abiit, cum et Cicero de fin. II 7, 22 Caecilii versum laudet et Lucilius (lib. XXVI) in suum usum converterit. Fr. 6 „perticis nictari“ de brachiis alte circumactis intellego; ita Graeci *μασχάλην ἀΐσειν* de cachinnantibus dicunt.

Huius fabulae, ut „Chryson“ meretricis nomine insignitae, illi quae antecedit simile argumentum fuit. Adulescens aliquis pulchram meretricem adamavit; rixae ortae (fr. 2), pax secuta. Pater filio luxuriose viventi egestatem futuram exprobrat (fr. 8); sed meretrix, puella „luculenta et magnifica“ (fr. 5), adolescentem hortatur, ut beatissimo amore fruens senis morosi sermones flocci faciat. Pater denique meretricem suo aere emptam alii despondet, ut amanti filio spem omnem intercludat (fr. 1). Addi potest vel huic fabulae vel Asoto ille versus inc. 7, quo pater de filio nebulone queritur:

Tantam rem dibalare, ut pro nilo habuerit.

Hymnidi addidit iam Ribbeckius alium versum (inc. 9), quo se iactat adulescens luxuriosus:

Quisquillas volantis, venti spolia memorant: i modo!

### *Hypobolimaeus.*

Laudandus hic ante omnes Henricus Grauert, qui palmari disputatione in Anal. crit. p. 75—80 obsoletas de hac fabula eiusque titulo opiniones tandem aliquando exulare iussit. Demonstravit vir doctus ineptum esse tres similis tituli fabulas statuere: Hypobolimaem Chaerestratum, Hypobolimaem Rastrariam, Hypobolimaem Aeschinum. Chaerestrati et Aeschini nomina a grammaticis addita puto, Rastrariae nomen (simile titulo fabulae Pomponianae „Sarcularia“) natum ex Graeco „Υποβολιμαῖος ἢ Ἀγροῖκος“. Una igitur Caecilii fabula fuit „Hypobolimaeus“, cum etiam fragmenta tantam inter se cognationem ostendant, ut vix dubitari possit. Id infra (versus ipsos conferas quaeso apud Ribbeckium p. 47—51) in fabulae argumento adumbrando paulo accuratius explicabo. Quod ad Graecos poetas attinet, Caecilium Menandri fabulam cognominem sua expressisse apud omnes constat. Etiam Alexis, Philemon, Eudoxus scripserunt Hypobolimaem.

Iam huius fabulae, quam teste Quintiliano X 1 et tot fragmentis servatis clarum fuisse videmus, argumentum designare experiar, cuius primas lineas ipse Cicero duxit pro Rosc. Am. c. 16: „Equid tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Caecilianus minoris facere Eutychem, filium rusticum, quam illum alterum Chaerestratum? nam ut opinor hoc nomine est, alterum in urbe secum honoris causa habere, alterum rus supplicii causa relegasse?“ — Ut in Menandri, ita etiam in Caecilii fabula pater quidam inducitur, qui duos habebat filios, alterum suppositivum, alterum genuinum. Hunc, cui nomen Eutycho erat, secum in urbe habebat, alterum, cui nomen Chaerestrato, rus seni cuidam educandum et alendum tradiderat. Sed filii mox moribus veram originem luculenter ostendunt. Eutycho ille, qui in urbe habitabat, genus hominum unde ortus erat mira rusticitate prodit: gaudebat bobus, equis, campis. Contra Chaerestratus, mitis ingenii adulescens, artes ingenuas desiderabat, res rusticas spernebat (v. 90 Ribb.). Pater tandem fraude, qua Eutycho in locum nobiliorem suppositus erat, detecta (v. 85) ira valde commovetur (v. 89), sed amicorum precibus lenitur. Filium suppositivum domo quidem non pellit, sed statim alterum genuinum ex agris arcessit, qui eum laeto animo salutatur (v. 76). Senex rusticus, cui curandus traditus erat, Eutychoi verus pater fuisse videtur.

Illum Chaerestratus, qui cum eo „omnes aerumnas pariter tulerat“, ex sordibus in locum honestiorem tollere et in urbem vocare constituit. Fratre comite domum eius petit pauperrime exstructam (v. 83). Senex vero, quem de restituendo Chaerestrato tergiversari narrat Quintilianus I 10, stultum vocat adolescentem, qui cum ab ipso optime habitus fuerit, iam in ignoti hominis domum transiturus sit (v. 77). Tandem re perspecta abire cum illis constituit. Domum patris omnes ita conveniunt et hilares epulas parant. Amores, qui certe et hac fabula continebantur, fragmenta non indicant, sed nuptias celebratas fuisse docemur schol. ad Aristoph. Lys. 378: „περὶ γαμηλίων λουτρῶν Μένανδρου ἐν Κρήτῃ φησὶ καὶ ἐν Ὑποβολιμαίῳ“. Fortasse etiam pulcherrimi illi Persii versus V 161—174, quibus Chaerestrati adolescentis cum Davo servo colloquium habentis amor describitur — ille a meretrice exclusus, iratus turpi amori renuntiat, mox revocatus ad eam redit — ex Caecilii Hypobolimaeano deprompti sunt. Etiam Terentius in Eunuchio I, 1 mutatis nominibus (Phaedria adulescens, Parmeno servus) hanc praeclaram Menandri imaginem imitatus est.

### Imbrii.

1. . . . et hómini et pecubus ómnibus
2. nunc uter  
Créscit: non potést celari.
3. Míhi surdo dormítum suadet út eam. — At si obdormívero,  
Túte ídem ubi eris éxperrectus?
4. . . . . quíd mihi non sunt bálneae?
5. Resupína obstípo cápítulo síbi véntum facere túnícula
6. 'Age age, í puere, dúc me ad patrios fines decoratum ópipare!
7. Mírur ádeo nísi fráter domi turbam áliquam dederit ébrius.
8. . . cruento ita óre grundibát miser.

Ad fr. 5 conferas Horat. sat. II 5, 91 „Davi sis comicus atque Stes capite obstipo“ et Pers. sat. III 78 „non ego curo Esse quod Arcehilas aerummosique Solones Obstipo capite“, ad fr. 7 Ter. Eun. IV 3, 11: „Rogás me? eunuchum quém dedísti nóbis quas turbás dedit!“

Haec fabula persimilis Hecyrae Terentianae fuisse mihi videtur. In altero illius fabulae prologo L. Ambivius Turpio, „orator ornato prologi“, nonnulla affert de Caecilio eiusque fabulis, quas primum repudiatas sua virtute in populi gratiam restitutas esse gloriatur:

Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cónitae,  
Placitae sunt. ita poétam restitui in locum  
Prope iam remotum iniúria advorsarium  
Ab stúdio atque ab labóre atque arte música.

Oratorem vero ipsum antea Terentianae similem Caecilii fabulam egisse, quam spectatores statim recordabantur, valde probabile est. Titulus nostrae fabulae bene explicatur Ter. Hec. I 2, 96, ubi puellae modo domum ductae maritus hereditatis quae ei obtigerat capiendae causa Imbrum profectus esse dicitur. In patriam revertens servos quosdam Imbrios secum duxit, unde, cum illi Atheniensibus propter mores parum urbanos ridiculi viderentur, fabulae titulum ortum esse puto. Iam ille patrios fines revisens (fr. 6) laetus domum festinat. Sed ibi multa mutata videt: fratrem vitae dissolutae deditum ebrium (fr. 7), ipsam uxorem gravidam dictam (fr. 2). Irae et amoris stimulis agitatus ad uxoris conclave tendit, sed inde variis causis confictis retinetur. Cum ipse uxorem, meretricis forsitan illecebris implicatus (fr. 3), nondum attigisset, iure valde irascitur (fr. 8); tandem uxorem iam in puerperio enitentem reperit (fr. 5). Denique, quod ex Terentii fabula notum, anulo uxorem virginem a se olim compressam esse intellegit et puerum ex illa natum suum agnoscit. Ita omnia ad communem omnium laetitiam expediuntur.

Iam qui C. Sulpicii Apollinaris Hecyrae Terentianae periocham attente legerit, idem fere Caecilii Imbriorum argumentum fuisse facile concedet. Quare illam, ut quod verum habeo statim intellegatur, hic apponere et nonnullis gratum erit et rei ipsi aptum videbitur.

Uxórem ducit Pámphilus Philúmenam,  
 Cui quóndam ignorans vírgini vitium óbtulit,  
 Cuiúsque per vim quém detraxit ánulum  
 Dederát amicae Bácschidi meretrículae.  
 Dein ést profectus Imbrum: nuptam haud áttigit;  
 Hanc máter utero grávidam, ne id sciát soerus,  
 Ut aégram ad sese tránsfert. revenit Pámphilus:  
 Depréndit partum: cêlat: uxorém tamen  
 Recípere non volt. páter ineusat Bácschidis  
 Amórem. dum se púrgat Bacchis, ánulum  
 Matér vitiatae fórte agnóscit Myrrina.  
 Uxórem recipit Pámphilus cum ffilio.

### *Meretrix.*

1. Cum prógubernator própere vertit prósumiam.
2. Memini íbi [fuisse] cándelabrum lígneum  
 Ardéntem.

Graeca fabula *ἐταίρα* inscripta non exstat; sed Naevius et Turpilius Hetaeram scripserunt, certe Graecam aliquam fabulam imitati, Pomponius Prostibulum. Quarta haec est Caecilius fabula meretricis nomine insignita, nomen ipsum deperditum. Chrysi, Harpazomenes, Hymnidis argumentis huius fabulae argumentum haud dissimile fuisse videtur. Forte totum earum mulierularum ordinem, ut in Thaide Menandrum, luculento exemplo illustrare voluisse poetam O. Ribbeck seite observavit.

### *Nauclerus.*

1. Nunc abeo, audibis praeterea, si eius redeat filia.
2. Ut te di omnes infelicient cum male monita memoria!
3. Súppilatum est aúrum . . . átque ornamenta ómnia.

*Ναύκληρος* fabula Menandri. Quod in fine versus primi vulgo legebatur „Pergamo“, corruptum fabulae Progamus titulum esse Henricus Grauert Anal. crit. p. 113 acute animadvertit. Sed fortasse „Pergamo“, quod versui quidem adversatur, veri aliquam speciem praebet, cum apud Menandrum Theophilus ex mari Aegaeo rediisse dicatur. Etiam quod ad versum secundum attinet, ex Menandro probari potest, alicui ob improbam oblivionem maledici. L. Spengel contra dicit: „Qui nostra loquitur, non eum qui malam habeat memoriam deos perdere vult, sed cum illi nimia inhaereat et infanda effaturus sit, oblivione afficiant precatur.“ Apud Menandrum enim Stratoni cuidam aliquis laetabundus Theophili filii reditum nuntiat:

*Τὸν νότον εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον  
 πρῶτος λέγω σοὶ τὸν τε χρυσοῦν κάρθαρον.  
 ποῖον; — τὸ πλοῖον οὐδὲν οἶσθα, ἀθλίε.*

Res tuas, ait, non nosti miser; omnia tibi memoria exciderunt. Similiter vero ac Caecilius noster, Pomponius in Praecone Posteriore (fr. 5) loquitur:

At te di omnes cum consilio, calve, mactassint malo!

Collatis Menandri et Caecilius fragmentis argumentum fabulae hoc fuisse videtur. Pater filium, qui iam diu in mare Aegaeum profectus erat, sollicitus exspectat. Ille reversus cum „auro atque ornamentis omnibus“ spoliatum se confiteretur (fr. 3, cf. Men. „ . . . τὸν τε χρυσοῦν κάρθαρον“), a patre male excipitur. Puellam, quam secum adduxerat, patri primum invisam tandem uxorem ducit.



**Nothus Nicasio.**

1. Habés, vide, tibi trádidi, in tuo cóllo est: decollés cave.
2. Illico ante óstium hic érimus . . . .
3. . . . . manete ilico!

Hac fabula Caecilius imitatus est Philemonem, cuius *Nóθος* bis laudatur. Aucti tituli hanc liceat originem suspicari. Athenis ii cives *γνήσιοι* appellabantur, quibus pater et mater cives erant, *νόθοι*, quorum solus pater civis erat. Hi si *νόθοι* reperiebantur, cum *γνήσιους* se professi essent, iustis poenis affici poterant. Quaestio (*διαγνήσιος*) instituebatur, num illi cives essent legitimi; damnati in *μετοίκων* ordines remittebantur. Licebat iis quidem inde ad populum provocare, sed si ibi quoque res male cesserat, etiam inter servos relegari poterant. Nicasio igitur — si quidem hoc nomen recte a verbo *νικᾶν* vel *νικάζειν* derivatur — is appellatus est, qui ex illa civium recensione *γνήσιος* indicatus victor prodiit. Addo hoc, talem *ἀναγνώσιον* vel matris vel filii, invento aliquo ornamento adiutam (cf. fr. 1), saepissime nobis in fabulis occurrere. Erat id notum poetarum artificium, ut nos dicimus „ein beliebtes Motiv“.

**Obolostates.**

1. Nunc enim vero est, cum meae morti remedium reperibit nemo.
2. Depositus modo sum anima, vita sepultus.
3. . . . . credidi silicernium  
Eius me esse esurum.
4. Ego perdidici te, qui omnes servos perduo  
Populatum: quaeso ne ad malum hoc addas malum.
5. . . . . si linguas decem  
Habeam, vix habeam satis te qui laudem, Lache. —  
Immo vero haec ante solitus sum: res delicat.
6. . . . . satine huic ordini,  
Etsi nihil egisti, quaesti? — Quaesti? — Quia sunt aemuli.
7. Credó: nimis tamen hóce fit verniliter.
8. Volat exsanguis, simul anhelat, peticulamentum tenet  
Palliolatum.
9. . . pelvim sibi poposcit . . . . .

Hanc quoque fabulam Caecilium mutatis mutandis ex Graeca aliqua fabula convertisse ipse titulus docet; exemplum vero primum frustra quaeras. Obolostatem eandem fabulam fuisse ac Feneratorem iam dudum, inde a Scaligero, intellectum est et per se liquet. Nomen vero ipsum feneratorem sordidum prodit, qui quemque obolum anxie pensitare dicitur (vulgo apud nos „Pfennigfuchser“). — Fr. 5 verba sunt adulatoris cuiusdam, qui a Lachete feneratore — cuius nomen apte quidem eius quaestui a verbo *λαγχάνειν* derivandum — pecuniam petit. Quod ad sermonem ipsum attinet, cf. Pers. V 1 sq.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,  
Centum ora et linguas optare in carmina centum.

Fortasse etiam Caecilianum illud bis a Cicerone laudatum: „Omnibus laetitiis laetus incedo“ (Ribb. inc. 10) ad Obolostatem revocandum est. Fr. 7 servus aliquis de alio quodam servo nimis se abiciente loquitur; fortasse ille pelvim apportare iussus (fr. 9) domino quo expueret vestem obtulerat. Fr. 6 verba putanda sunt vel meretricis vel ipsius feneratoris. Reliqua fragmenta fere omnia (1. 2. 8. 9) feneratorem ostendunt graviter aegrotantem atque in ipso articulo mortis misere clamitantem, cuius sollicitudines Horatius sat. I, 1, 80—87 pulcherrime depinxit:

At si condoluit temptatum frigore corpus,  
Aut alius casus lecto te affixit: habes qui  
Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te

Suscitet ac reddat natis carisque propinquis?  
 Non uxor salvum te vult, non filius; omnes  
 Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.  
 Miraris, cum tu argento post omnia ponas,  
 Si nemo praestet quem non merearis amorem?

Itidem Caecili feneratorum omnes ob sordidam avaritiam execrantur, quamquam praesentem laudibus efferunt (fr. 5). Tandem ille, qui undecunq̄ pecuniam conquisiverat, morbo temptatur (fr. 8 et 9), morti se iam addictum putat (fr. 1 et 2) et se opes tantis laboribus comparatas brevi esse relicturum queritur. Omnes eius mortem suspenso animo expectant, sed ille — nam tristem exitum a comoediae natura alienum esse concedes — morbo liberatur et vitae redditur. Propinqui ac vicini, qui iam eius „silicernium se esse esuros“ (fr. 3) speraverant, misere falluntur. At ille periculo edoctus a consuetudine mala recedens omnibus liberalem atque humanum se praebet. Ita cum mire mutatus „mente sana in corpore sano“ fruatur, propinqui silicernii loco lautas epulas instruunt.

### *Pausimachus.*

1. Edepól voluntas hómini rarentér venit.
2. libera essem iám diu,  
Habuíssem ingenio si isto amatorés mihi.
3. Carbásina, molochina, ámpelina . . .
4. hoc a te póstulo,  
Ne cúm meo gnato pósthac limassis caput.

De hac fabula idem quod de Obolostate dico: titulum Graecum originem ostendere, fabulam Graecam ipsam ne unico quidem versu servato interiisse. Meretrice adolescens dives familiariter utitur et largis eam muneribus donat (fr. 3 vestimenta praedicantur pretiosa, variis coloribus imbuta). Quare illa se iam diu liberam futuram fuisse ait, si „ingenio isto amatores habuisset“ (fr. 2). Sed pater filium ut pravam consuetudinem intermitteret adhortatus, puellam quoque adolescentis amorem amplius sectari vetat (fr. 4). Denique filius, a Pausimacho amico (cuius nomen quid sibi velit facile intellegitur) liberaliter adiutus, patri reconciliatur, puellam uxorem ducit.

### *Philumena.*

1. Qui pánis soli corbulám . . . .
2. . . eorum famam occultabat factio.

Ecce iterum fabula ipso amatae puellae nomine ornata! Invenitur autem nomen etiam in Terentii Hecyra. Meretricem adolescens opulentus (cf. Nonius: „factio iterum significat opulentiam, abundantiam et nobilitatem“) a lenone redemptam uxorem ducit. Fr. 1 servus quod alteri servo soli tota danda sit panis corbula queritur. Fr. 2 cum Plocii fr. 8 congruere minime mirum, cum haud raro vel optimi poetae bene dicta repetant.

### *Plocium.*

Huius fabulae, cum versus nimis sint multi (Ribb. 142—189), ea tantum hic exhibebo fragmenta, ad quae explicanda novi aliquid me allaturum esse confido.

3. Placére occoepit gráviter, postquam est mórtua.
4. Solétne mulier décimo mense párere? — Pol  
Nonó quoque atque octávo atque etiam séptimo.
8. . . is demum infórtunatus ést homo,  
Paupér qui educit in egestatem liberos,  
Cui fórtuna et res, útut est, continuó patet.  
Nam opulénto famam fáctile occultat fáctio.

10. Patiére quod dant, quándo optata nón danunt.

11. Vivás ut possis, quándo non quis út velis.

18. Opuléntitate nóstra sibi ne iniúriam

Faciám

(21.) Iuxtá bonum homini dát Deus duplém malum.

(22.) Mortális nemo est, quém non attingát dolor.

Ad utriusque senis diverbium, unde est fr. 2, pertinet sine dubio festivum alterius de mortua uxore dictum fr. 3, quod fere inepte de adolescentis amica interpretatur Spengelius. Quod ad sententiam attinget, cf. Dionys. Σώζουσα fr. 2:

Πρὸς τὸν τελευτήσανθ' ἕκαστος, καὶ σφόδρα  
ζῶν ἐχθρὸς ἦν τις, γίγνεται φίλος τότε.

et Horat. Epist. II 1, 13 sq.:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes

Infra se positas: extinctus amabitur idem.

Fr. 4 verba sunt Parmenonis servi, cui non convenit computanti temporis ratio; puellam non iam peperisse miratur. — Ad fragmentum octavum explicandum Graeca Menandri iam Gellius attulit. Ex eodem senis pauperis cum Parmenone servo sermone ea petita esse videntur, quae in Menandri inc. 103 leguntur:

Τὸ γυναικ' εἶναι τε παίδων, Παρμένων,  
πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.

Ad fr. 10 et 11 cf. Donat. ad Terent. Andr. IV 5, 10:

Ut quimus, aiunt, quándo ut volumus nón licet.

Haec sententia deprompta est ex Menandri Andr. fr. 13:

Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

Similis est Menandri sententia haec (Men. sent. 190):

Θέλομεν καλῶς ζῆν πάντες, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα.

Fragmento 18 referuntur verba puellae ab adolescente divite, Crobylae filio, „properatim in tenebris“ (fr. 6) compressae; iam illa queritur, sibi opulencia eius iniuriam factam esse, cum nuptias vix sperare possit.

Num poeta a Seneca de brevit. vitae cap. 2 laudatus, qui Menandri versum Ploc. 9 ex Euripide petitum: *Μικρόν τι τὸ βίον καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον* ita reddidit: „Exigua pars est vitae, quam nos vivimus“ Caecilius fuerit, Ribbeckius, fortasse iniuria, dubitat. — Versum, qui in Syri quae feruntur sententiis legitur (391 Erasm.):

Iuxtá bonum homini dát Deus duplém malum

Plocii fragmentis addo, desumptum ex Menandri Plocii fr. 8 (cf. Ribb. argum.).

Inter easdem Syri sententias (488) alius versus reperitur, expressus ex Menandri Plocii fr. 10:

Οὐκ ἔστι βίον εὐρεῖν ἀλυπον οὐδενός.

Menander illum ab Euripide petivit (Matth. inc. p. 381), a Menandro, quem sententiis abundasse notum est, Caecilius (fr. 22). Celebratum vero est illud Horatii: „Nihil est ab omni parte beatum“ et Schilleri nostri: „Des Lebens ungemischte Freude Ward keinem Irdischen zu teil.“

Iam vero argumentum, etsi iam ipse Ribbeckius duce Gellio fabulam acute enucleatam pereleganter enarravit, describere conabor. Homo pauper *Κροβύλην*, opulente dotatam puellam, uxorem duxerat, quae cum summa oris et totius formae turpitudine (Men. fr. 1, Caecil. inc. 20: „gramiosis oculis ipsa, atratis dentibus“) intolerabilem morositatem coniungebat. Ea puellam quandam sibi ut mariti pellicem suspectam domo expulerat. Haec fabulam praecessisse et in prologo exposita fuisse videntur. Puella foras eiecta patris, qui ubi habitaret cognoverat, domum, quamquam eam stupri pudebat (fr. 5) et parentum convicia verebatur, rediit. Pater de filia sollicitus senectutem, quae tot mala viderit, execratur (fr. 9); frustra a filio vel servo philosophorum sententiis mitigatur (fr. 10 et 11). Iam puellae puerperium imminet. Dum ipsa in partu laborat, Parmeno servus pro foribus stans de pauperis senis ignominia queritur (fr. 8). Interea Crobylae filius puellam in pariendo eniti comperit. Simul Parmenonem agnoscit; ipse enim, cum pater ruri habitaret, puellam sibi ignotam festo die compres-



serat (fr. 6). Nam cum pater in urbem migraret, puella rapta et Crobylae ut ancilla vendita erat. Adulescens illam olim a se destitutam (fr. 18) post partum, ut honestis parentibus natam, in matrimonium ducere constituit. Parmenoni rem suam strenue adiuvanti libertatem promittit. Iam patrem adit et ab illo impetrare studet, ut institutum suum probet. Sed mater dura filii precibus obstat et puellam sibi invisam (fr. 15) quominus domum suam recipiat recusans filio alias nuptias obtrudere studet (Men. inc. 224: „Κροβύλη τῇ μητρὶ πείθων καὶ γάμει τὴν συγγενή“). Tum adulescens vehementer animo commotus (fr. 7) rem ad iudices deferre statuit (fr. 16 et 17). Ibi res diiudicatur et ille ex Attico iure puellam uxorem ducere iubetur. Nuptiae iam apparantur, cum Crobyle aegritudine affecta, quod frustra illas disturbare conata erat, in morbum illapsa moritur. Nuptiae ob hunc casum differuntur; maritus uxorem vivam sibi invisam mortuam deflet (fr. 3). Sed omnibus prospera et exoptata illius mors evenerat: pater, filius, familiares, omnes illius rabie liberati iam respirare incipiunt. Mox filii nuptiae parantur, omnes laeti discedunt et festas epulas instruunt (fr. 13). Epilogum Parmeno manumissus et liber factus (fr. 19) habuisse videtur.

### *Polumeni.*

At pól ego neque florém neque flocces vólo mihi, vinúm volo.

Menandri fabula *Πολόμενοι* nota est. Certe illi homines otiosi, quos Ennius „grassatores“ appellabat, amplissimam ridendi materiam praebabant, cum omnes mercatorum tabernas adirent, omnia degustarent, pauca emerent, unde varias rixas nasci necesse erat.

Menandri versus Polum. 1: *Τάλας, ἔστηκας ἔτι πρὸς ταῖς θύρας τὸ φορτίον θεῖς; σιτόζουρον, ἄθλιον, Ἀχρηστον εἰς τὴν οἰκίαν εἰληψαμεν* cum Caecili versu, similem altercationem indicante, inc. 24: „ . . . séquere me. Perii hércle. Tu, quid enim óscitans Hietánsque restas?“ apte a Ribbeckio compositi esse mihi videntur.

Fortasse etiam sententia illa apud Senecam de tranq. an. 15: „aliquando insanire iucundum“, ex Menandri Polumenis expressa: „καὶ συμμανηῖρα δ'ἐνια δέτ“, Caecili est. Simile Horatii illud „Dulce est desipere in loco“ (carm. IV 12, 28) et Goethii nostri: „Löblich ist ein tolles Treiben, wenn es kurz ist und mit Sinn.“

### *Portitor.*

. . . . . cur dépopulator? gérrae!

Erravit Spengelius, quod hoc fragmentum Nauclero adscripsit. Quid portitor esset, poterat a Nonio discere: „Portitores dicuntur telonarii, qui portum obsidentes omnia seiscitantur et ex eo vectigal accipiunt.“ Gerrae erant Nonio teste crates vimineae, quibus in Graecarum urbium foris tabernae circumseptae erant, et ipsae quoque *σκηναί* ex illis contextae *γέροα* appellabantur. Apud Comicos illo vocabulo contemptim res viles vel nullius fere pretii notabantur; similes locutiones vulgares: quisquiliae, apinae tricaeque, flocci facere aliquid, cf. Nonius 118, 33: „gerrae, nugae, ineptiae“. Facete vero vocabulum illud in fine versus ponitur, ut in Turpili Canephoro fr. 2 „ . . . testamentum érgo celabís? — Logi!“ et apud Persium sat. I 4 sq. „Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem Praetulerint? Nugae!“

### *Progamos.*

Ita quód laetitia mé mobilitat, maéror molitúr metu.

Spengelius p. 6 non *Προγάμω*, sed *Προγάμοις* legendum et fabulam ad Menandrum auctorem pertinere censet; sed illud apud Nonium bis, hoc loco et Naucl. 1, legitur. Versum, qualem nunc habemus („ita quod laetitia . . .“), Palmerius Spicilleg. ap. Grut. optime restituit. Quod vulgo legitur „letiale“ vix intellegitur, Grauert Anal. 114 „letale“ („i. e. ad mortem usque, adverbii significatione“) valde dubium est. Verba ipsius Progami fuisse videntur, qui satis ridicule nuptias, quas antea appetiverat, cum iam instent reformidat.

*Pugil.*

Tum int̄r laudandum hunc timidum tremulis p̄lpebris  
Perc̄tere nictu: hic ḡudere et mir̄rier.

Cf. Hymnis 6: „Garruli sine d̄ntes iacent, sine nictentur p̄rticis.“ Male ac nimis vel parum docte „vir doctus“ in Stephani coll. „Iudendum“ coniecit, quod Spengelium probasse miror. Qui ille tum poterat „gaudere et mirarier“? Hac fabula pugil timidus, sed gloriosus irridetur; simile fortasse, ne Plauti militem gloriosum memorem, argumentum Enni Pancratiastis fuit. Ad hanc Caecilii fabulam (nisi forte melius ad Triumphum) apte referetur ille versus (inc. 22), quo quis magnitudinem nasi irridet: Pro di immortales! unde prorepsit truo?

*Symbolum.*

1. Destituit omnes s̄rvos ad mensam ante se.
2. Audire ignoti quae imperant soleo, non auscultare.

Sermo fuisse videtur de cena collaticia, in quam quisque symbolam suam confert, unde et fabulae titulus. Iuvat in memoriam revocare quae in Exhauthestote fabula describenda de Eranosthene quodam parasito exposui.

*Synaristosae.*

Heri v̄ro prospexisse eum se ex t̄gulis:  
Haec n̄ntiasse et fl̄mmeum expassum domi

Haec fabula expressa est ex Menandri *Συναριστώσας*. Caecilii illi quae antecedit haud dissimilis fuisse videtur. Mulieres ad prandium congregatae aliarum ut solent res tractant sc. nuptias, amores, similia, ut in Aristophanis Ecclesiazusis. „Ex tegulis“ saepe apud Comicos homines curiosi, servi imprimis et ancillae, nova ac vetita exploratum aedium impluvia inspiciebant, cf. Plauti mil. glor. 173 sqq.

*De t̄gulis*

Modo nescio quis inspectavit v̄strum familiarium  
P̄r nostrum impluvium.

Ad hanc fabulam revocanda sunt, quae leguntur de amoris laudibus apud nostrum inc. 15 („Ego vero Amorem“ egregie supplēvit Bentleius) ex Ciceronis Tusc. disp. IV 32:

Ego v̄ro Amorem deum qui non summum putet,  
Aut stultum aut rerum esse inperitum existumem:  
Cuius in manu sit, quem esse dementem velit,  
Quem sapere, quem sanari, quem in morbum inici,  
Quem contra amari, quem expeti, quem arcessier.

Expressa enim sunt aperte ex Menandri Synaristosarum fragmento quarto:

*Ἔρωσ δὲ τῶν θεῶν  
λόγῳ ἔχων πλείστην ἐπὶ τούτῳ δέκνεται  
διὰ τούτῳ ἐπιροκοῦσι τοὺς ἄλλους θεοὺς.*

Lacunam inter versum quartum et quintum, quam Bentleius statuit, et versum quem ille effinxit: „quem odio esse, quem contemni, quem excludi foras“ non agnosco. Non poetae illum fuisse puto, sed syllabarum aucupis: videas quaeso ita in versu illo et Caecilii versu quinto verbum verbo respondere. Ceterum hos Caecilii versus ex Euripide (Auge fabula, cuius insigne fragmentum Stobaeo debemus) Menandro interprete petitos esse Meinekius vidit (com. Gr. IV 709):

*Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν  
καὶ τῶν ἀπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,  
ἢ σκαίος ἔστιν ἢ καλῶν ἀπειρος ὢν  
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.*

Cf. Valckenarii diatribe in Euripidis perditorum dramatum reliquias p. 163: „Caecilius sua probabiliter Menandro debet, qui libenter exprimebat Euripidea.“ Similes Amoris laudes apud Menandrum habes in fabulis Ἡρώς (fr. 1) et Θηοανρός (fr. 1). Pariter vero ac Caecilius contraria componens Cervantes, summus Hispanorum poeta, Don Quixote parte I. cap. 34 amorem celebrat: „El amor unas veces vuela, y otras anda: con este corre, y con aquel va despacio, á unos entibia, y á otros abrasa, á unos hiere, y a otros mata: en un mesmo punto comienza la carrera de sus deseos, y en aquel mesmo punto la acaba y concluye: por la mañana suele poner el cerco á una fortaleza, y á la noche la tiene rendida, porque no hay fuerza que le resista.“

### Synephebi.

Haec fabula ex Menandri fabula cognomine fluxit teste Cicerone de fin. I 2, 4 et de opt. gen. or. 18: „Idem Andriam et Synephebos nec minus Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt . . . Synephebos potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam?“ Exstabant praeterea Euphronis Συρέφηβοι, Συρέφηβος Philemonis, Ἐφηβοι Ephippi, item Apollodori, Σύντροφοι Alexidis, Diphili, Demoxeni, Posidippi, aliae similes aliorum, inter Romanos „Aequales“ Afranii, quod hic ideo tantum moneo, ut ostendam quanto studio hoc argumentum a tot poetis tractatum fuerit.

1. In amore suave est summo summaque inopia.  
Paréntem habere avárum, inlepidum, in líberos  
Difficilem, qui te nec amet nec studeát tui.  
Aut tu illum furto fállas aut per litteras  
Avértas aliquod nómen aut per sérvolum  
Percútiás pavidum, póstreño a pareó patre  
Quod símas, quanto díssipes libéntius!

\* \* \*

Quem néque quo pacto fállam nec quid inde aúferam,  
Nec quém dolum ad eum aut máchinam commóliar  
Sció quicquam: ita omnis meós dolos, fallácias,  
Praestrígias praestrínxit commodítas patris.

2. Serít arborés, quae alteri saeclo prósint.
3. Pró deum, populárium omnium, ómnium adulescéntium  
Clámo, postulo, óbsecro, oro, plóro atque inploró fidem!  
in civítate fiunt fácinora capitália:  
Nám ab amico amánte argentum accípere meretrix núnc nevolt.
4. Ad réstim res redit. — Immo collus, nóñ res: nam ille argéntum habet.

Primi fragmenti versus satis bene conservati primae scaenae fuisse videntur; leguntur apud Ciceronem de nat. deor. III 29: „Ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore summo summaque inopia suave esse dicit: parentem — — — tui.“ Atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit: „aut tu illum — — — libentius“. Idemque facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat, „quem neque quo pacto — — — patris“. Sententia tam clara ac perspicua est, ut nihil desideres. Ciceronem vero illos versus, qui versum septimum sunt secuti, ipsis verbis illis: „facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio“ expressisse cum per se valde probabile est, tum disputationis initio primum huius fragmenti versum referente satis indicatur. Poeta ut antea de difficili, ita hic de facili patre duos certe vel tres dedit versus, quos Cicero, ut solet, paucis verbis comprehendit. Quare nescio an pars aliqua versuum qui exciderunt ita fere sit restituenda:

„incommodum  
Paréntem liberálem amanti filio,  
Faciléñ, [festivum] . . .“

Conferas quaeso Ephesii fragmentum eodem fere verborum ordine constitutum:



Tum equidem in senecta hoc députo misérrimum,  
Sentire ea aetate ipsum esse odiosum álteri

ac memineris vividam illam vocabulorum congeriem („avarum, inlepidum, difficilem — liberalem, facilem, . . .“) valde a Caecilio fuisse amatam. Eadem ratione, quod ad fr. 2 attinet, in Ciceronis verbis Cat. m. VII 24: „Nec vero dubitat agricola, quamvis senex, quaerenti cui serat respondere: „diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris proderet“ certissima Caecilii vestigia reperiuntur. Certe Ciceronis ea erat consuetudo, ut fidi interpretis munere fungens versus numeros solutos reddat. Etiam fragmentum tertium servatum est a Cicerone de nat. deor. I 6, 13: „Convocandi omnes videntur, qui quae sit earum (sententiarum) vera, indicent . . . itaque libet mihi exclamare ut in Synephebis: ‚pro deum — — — fidem‘ non levissima de re, ut queritur ille ‚in civitate fieri — — — nevolt‘, sed ut adsint, cognoscant, animadvertant“. Versuum aliquam partem, quae latet in verbis „ut adsint, cognoscant, animadvertant“, Cicero consulto omisit, quippe qui soleat versus paulum immutatos in suum usum convertere. Cf. Cic. de orat. II 64: „Saepe etiam versus facete interponitur vel ut est vel paululum immutatus aut aliqua pars versus.“ — Cum fragmento quarto Spengelius similem Terentii versum Phorm. IV 4, 5: „Ad réstim res redit mihi quidem planissime“ apte composuit. Vides iterum (antea in Hypobol. v. 91 Ribb.: „Quód prolubium, quae voluptas, quae te lactat largitas?“ cf. Adolph. V 9, 28: „Quód prolubium, quae istaec subitast largitas?“) Terentium Caecilii verba repetentem.

Ut titulus docet, duo adolescentes aequales („Die Kameraden“) in hac fabula primas egerunt. Alter habebat patrem facilem et liberalem (fr. 1), meretricem contra pertinacem (fr. 3), alter hanc promptam et paratam, patrem difficilem. Illius, qui a patre large pecunia instructus erat, puella „argentum accipere nolebat“, huic non suppetebat unde amicae satisfaceret (fr. 4). Uterque vero alterius fidei opera adiutus tandem nuptias, finem omnibus votis exoptatum, assequitur.

### Syracusii.

1. Vide, Démea, hominis quid fert morum similitas.
  2. . . tantan hinc invasit in cor, Dave, dulcitas?
  3. . . . . hic amet.
- Fámiliae famé perbitant, áger autem stet séntibus.

Spengelius in eo fallitur, quod Caecilium hac fabula Alexidis fabulam cognominem reddidisse contendit, cum Alexidis fabulae titulus non *Συραζούσιοι* sed *Συραζόσιοι* fuerit. Ceterum illius fragmenta cognationem vel similitudinem aliquam cum Caecilii fabula non ostendunt. — „Demeae“ (fr. 1) etiam seni cuidam nomen est in Terentii Adelphis. Cum veteres Comici aetati et ordini cuique certa quaedam nomina constituerint, puto Caecilium senem cum sene colloquentem fecisse, quod sententia probatur. Fabulae argumentum Terentii Adelphis simile fuisse videtur. Duo senes vicini, duorum adolescentium patres, moribus valde erant dissimiles: alter facilis et comis (fr. 2), alter severus ac durus in filium (fr. 3). Filii vero intima amicitia inter se coniuncti eo rem adducunt, ut alterius pater ab altero mitigaretur (fr. 1) et in filium ac totam familiam reddatur liberalior; tum nuptiae parantur.

### Titthe.

1. Praesértim quae non péperit, lacte nón habet.
2. . . . . egon vitám meam  
'Atticam conténdam cum istac rústicana [tuá], Syra?
3. Pér mysteria hic inhoneste [honéstam] gravidavit probro.
4. . . . . atque hércle  
Utrásque te, cum ad nós venis, subfárcinatam vídi.
5. . . . . ádiacentem cómpitum.
6. . . . . hic dúm abit, huc concéssero.

Titulus Graecam originem ostendit; laudantur Eubuli *Τιθηαί*, Alexidis *Τιθηή*, eadem Menandri. Hanc Caecilium imitatum esse pro certo statuere possumus, praesertim cum Menandrea illa: *οί τὰς ὄφρ' ἄφροντες ὡς ἀβέλτεροι καὶ „σκέψομαι“ λέγοντες* *z. t. λ.* quodam modo redire videantur in nostri fr. inc. 23: „sic quassante capite tristes Incédunt“. Etiam illud Menandreae fabulae fragmentum: „*ἦν ἂν τις ἑμῶν παιδίων Ἡτήσατ' ἢ κέχοικεν, ἄνδρες γλυκίτατοι*“ cum Caecilii fragmento quinto, quo nutrici, quae puero amisso a recta via aberraverat, iter demonstratur, comparari potest. — In fragmento secundo recte Spengelius, ut integer fiat versus in librorum lectione vocabulum deesse monuit, sed non recte in „rusticana“ mendum latere suspicatus „rustica dura vel vana“ coniecit. Bene Bergkius „tua“ ante „Sura“ addidit.

In fragmento quarto non est cur cum Lachmanno in Lucr. 104 „utrasque“ (i. e. in utramque partem, utrimque) in „utraque“ mutemus. Ibidem cf. Ter. Andr. III 4, 10: „vidi Cantharam subfarcinatam“, ubi Donatus: „proprium est anibus subfarcinatas esse.“ — Iam fabulae argumentum paucis explicemus. In mysteriis, Eleusiniis nisi fallor, celebrandis adulescens quidam nobilis honestam virginem vitiaverat (fr. 1). Illa partum mox editum celatura puerum nutrici tradit alendum; ipsa se peperisse negat (fr. 1, verba nutricis). At pater, qui hanc subfarcinatam abeuntem viderat (fr. 4), filiam petit ac graviter in eam invehitur, illa se defendit. Postremo res ut erat cognoscitur, pater reconciliatur et nuptias iubet parandas.

### Triumphus.

1. Hiérocles hospes ést mi adulescens ádprobus.
2. Nunc meae malitiae, Astútia, te opus ést subcenturiáre.

Singularis fabulae titulus, ut ille Afranii fabulae „Pompa“. Similis vero, quod fortasse et vox illa militaris „subcenturiare“ (fr. 2) indicat, haec fabula Plauti Militi glorioso, Caecilii Pugili fuisse videtur. Ad Triumphum praeter parvula illa fragmenta „decora domi“ (34) et „glabrum tapete“ (35) etiam illum versum referendum esse, qui legitur inter incerta (21):

Advéhitur cum iligná corona et chlámýde: di vostrám fidem!

et sententia et eo probatur, quod ille apud eundem Gellium, qui primum Triumphii fragmentum servavit, legitur.

Haec sunt Caecilii Statii fabularum fragmenta, quae fortasse aptius disposita a me et comparatis Graecorum Comicozum reliquiis accuratius explicata et illustrata iudicabuntur. Recensui vero fragmenta hunc in modum, ut commodum conspectum praebent ac sermonis quendam contextum, veritus scilicet ne id negligens malam illam Goethii notam: „Die Teile hat er in seiner Hand, fehlt leider nur das geistige Band“ meruisse viderer. Ac nescio quidem an in argumentis a me descriptis interdum audacior dicar; sed in incertis certum nemo statuere potest et ut Stoici dicunt „fit ex nihilo nihil“. Facilius certe erat tacere quam in verba inquirere et sententiam quae quidem probari possit inde elicere. „*Μαθοῦσαν ἀδῶ ζωὸν μαθοῦσα λήθομαι*“ (Aesch. Agam. 38).

Quae „ex incertis fabulis“ afferuntur (Ribb. p. 73—81), non ex aliis Caecilii fabulis deprompta mihi videntur. Versus illos adeo omnium memoriae inhaesisse puto, ut titulos fabularum apponi minime necesse esset. Ita nos quoque versus celebres poeta non nominato recitare solemus. Sane est versuum illorum ea natura, ut vel sententias easque pulcherrimas vel facetias celebratas atque insignes comprehendant; quo factum est, ut homines qui illos audiebant et fabulas ipsas noverant has statim recordarentur. Equidem non dubito, quin fragmenta illa ad celebriores inter eas quas explicavi fabulas sint referenda. Hoc persuasum habens pleraque in fabulis ipsis, ad quas pertinere mihi videbantur, collocaui.

Sententiarum vero quae inter incerta leguntur duas praeclaras hic apponere liceat: „Saépe est etiam sub palliolo sórdido sapiéntia“ (18 Ribb.) et „Homo hómini deus est, si suum officiúm sciat“ (16), cui similis Menandri versus (sentent. 562): *ὡς χαίρην ἐστ' ἀνθρώπου, ὅταν ἀνθρώπου ἦ.*

Reiectis minoribus ac levioris momenti fragmentis, quae desperabam nitescere posse vel apte non poterant collocari, ea quae exhibui satis ostendent poetae comici, quem multi praestantissimum dicebant et cui ipse Cicero permultos Caecili versus commemorans palmam dedisse videtur, vestigia manifesta atque expressa. Ex ungue, ut aiunt, leonem: „ἐξ ὀνυχος τὸν λέοντα“ (Alcaei fr. 112)! Itaque bono sane studio dignum videbatur inter paucas illas et Graecorum Comicorum et Caecili reliquias similia quaedam inquirere ac radiis dispersis quasi foco collectis splendida ingenii lumina retegere. Hoc spectans semper ad nobilia illa „exemplaria graeca“ redii, poetarum ipsorum vestigia pie secutus — μετ' ἔχνηθαι θεοῖο!

Quare habe tibi, lector benevole, „quidquid hoc libelli est et qualecunque“, δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε, ut ait idem Homerus. Quodsi qui aliter de singulis statuunt, rogatos illos volo, ut Horatium secuti „si quid noverint rectius istis, candidi impertiant“, me vero patiantur regi hac Bacchylidis sententia (fr. 13):

Ἄτερος ἐξ ἑτέρου σοφὸς τό τε πάλαι τό τε νῦν  
οὐδὲ γὰρ ὅσσον ἀρρήτων ἐπέων πύλας  
ἐξευρεῖν.